Theologia
Cultus imaginum

von Sicherstein (Domini Audifacii) Copia literarum de concertatione Christiani Dreieri habita cum quodam Jesuita 1653.

Theol. 9775

COPIA LITERARUM

CLARISSIMI MAGISTRI
DOMINI AUDIFACII
Von SICHERSTEIN,

AD

ERUDITISSIMUM DOMINUM
GARRIOPHILUM STILLIUM

De Concertatione
DOMINI DOCTORIS
CHRISTIANI DREIERI

Habitâ in Auditorio Maiori Regiomontano
cum quodam IESUITA.

Anno M. DC. LIII. ad diem 25 Aprilis.

VEXATIO
DAT
INTELLECTVM.

Clarissime Domine Magister Garriophile, Amice plurimùm venerande.

S. P.

QVam præsentes mutuâ inter nos consuetudine probauimus, eandem animorum communicationem in absentibus ita velim refricent vicaria literarum officia, vt ab omni perfidiæ nota iteratis detersam testificationibus euincant. Ego mihi semper similis, non impares de tui amoris firmitate vices è tuarum Epistolarum frequentiâ perquàm gratanter exploro. Foueant germanos hosce nexus Superi, nullis vnquam aut fortunæ illecebris, aut fatorum casibus dissoluendos: Cæterùm incertum te manere nolo; quin potius ex omni parte quàm studiosissimè informatum cupio de quibusdam euentibus; quos Sapientia nostra Kniphouiana recenter produxit, fama verò Orbi mox vniuerso diuulgabit. Caput & Religioni nostræ intaminatæ carissimum, & Numinis Clementiæ non inuisum, Excellentissimus Dominus Doctor Myslenta vltimum vitæ suæ diem (proh dolor) clausit 13 Kalendas Maij. Cineres terræ dati 4 Kalend. mensis eiusdem, non sine eximio, qui tantum deceat Virum, funerali apparatu. Atque vtinam, mi Garriophile, Sacrosancta Confessionis Augustanæ lex cum

suo

suo Propugnatore indefesso demortua, simul æternis non obruatur sepulta obliuionibus. Dreieri plaudit animus, importunum triumphat cerebellum, atque olim aduersantia sibi antilegomena cum Authore suo cœlitùs profligata ore proclamat tumido, conatu promouet plusquam sacrilego. Verumenimuerò canet, mihi crede, non longè post receptui temeritatis Antesignanus. Cum alijs dimicandum erit Ingenijs, eò magis formidandis, quò cum firmiori munita nouimus eruditione, tum validioribus Principum stipata præsidijs: Iesuitas velim intellexeris. E quorum gremio nuper quispiam certè inter Literatos haud vltimus, in Palæstra nostra Academicæ arenam descenderat. Velitatio prima cum Dreiero instructa, improuisa quidem: verumtamen & rationum pondere grauis, & argumentorum dexteritate subtilis: deniq; vltra trium horarum spatium sine vllo summæ Frequentiæ fastidio prouecta. Arbitri aderant tàm è Nobilium quàm Doctorum Ordine Viri Selectißimi. Quis alteri palmam præripuerit; perspicaci tuo & maturo definies iudicio: si currente calamo exceptum à me, tibiq; porrectum totius causæ symbolum tantisper non fastidies trutinare. Vale. Datum Kalendis Maij, Anno 1653.

Tibi obligatissimus

Audifacius von Sicherstein.

PERIOCHA CONCERTATIONIS
DE
CVLTV IMAGINVM
Habitæ in Auditorio Maiori Academico
Ab
EXCELLENTISSIMO D. DOCTORE
CHRISTIANO DREIERO
Cum IESVITA.

Thesis à Doctore proposita:

Imagines Sanctorum non sunt religiosè colendæ.

Argumentum primum ac fundamentale Doctoris
pro Thesi ex Scriptura Sacra.

QVod Deus adorari vetuit, id non potest religiosè coli; Ast imagines quascunq; Deus adorare vetuit *Exod. 20. v. 4. Non facies tibi sculptile, non vllam similitudinem eius, quod est in cœlis supernè, nec quod est in terra subtus, nec quod in aquis est sub terra: Non adorabis ea, neque coles ea, quia ego Dominus Deus tuus fortis.* Quæ verba repetuntur Deut. 5. v. 8. 9. Leu. 29. Ergo imagines non possunt religiosè coli, neque per se, vt cultus in imagine terminetur, neque per accidens, vt ab imagine transeat in exemplar.

IESVITA. Præteriens formam Argumenti, scilicet vtrùm benè iuxta sanam Dialecticam termini sint dispositi;

&an

& an cohæreat prædicatum Conclusionis cum prædicato Maioris, absolutè contra sic, suum exorsus est argumentũ.

Argumento proposito, & loco Scripturæ citato seipsum Doctor iugulat, & thesi propriæ contradicit. Ergo per id argumentum & per locum Scripturæ non probat absolutè ac simpliciter interdici cultum imaginum siue per se, siue per accidens. *Negauit DOCTOR Antecedens.*

Probauit Anteced. Iesuita. Hoc argumentum & locus Scripturæ à Dreiero explicatus, euincit nullas etiam imagines absolutè & simpliciter fieri debere, sed omnes prorsus aboleri. Quod contra Theseos tertiæ primam obseruationem est à Doctore positam, vbi sic loquitur: *Concedimus enim & fieri & haberi posse imagines Christi, & Apostolorum, & Sanctorum aliorum, non solùm extra templa, sed etiam in templis, tum ad ornatum, tum ad memoriam exemplarium, quorum sunt imagines, excitandam.* Ergo argumento suo & loco Scripturæ citato seipsum Doctor iugulat & thesi propriæ contradicit. *Negauit itidem Anteced. Doctor.*

Probauit Iesuita Anteced. Quâ ratione euincitur in citato loco Scripturæ prohiberi cultus imaginum illis verbis: *Non coles ea &c.* eâdem ratione euincitur prohiberi structura earundem imaginum per alia priora verba: *Non facies tibi sculptile, &c.* Ergo argumentum Dreieri & locus Scripturæ citatus, euincit nullas imagines absolotè & simpliciter fieri debere, sed omnes aboleri. *Negauit rursus Antecedens Doctor.*

Proba-

Probauit Iesuita Anteced. Sicut non alia ibi ratio est prohibendi cultum iuxta sensum Dreieri, quàm vt simpliciter & absolutè prohibeatur cultus omnium imaginum: Sic necessario non alia in eodem textu ratio est prohibendi structuram imaginum, quàm vt simpliciter & absolutè structura prohibeatur omnium imaginum. (quod non tantùm Dreieri Thesim, sed ipsam Scripturā condemnat. *Exod. 25. v. 18. Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex vtraque parte Oraculi, &c.*) Ergo quâ ratione euincitur in supra citato loco Scripturæ prohiberi cultus imaginum illis verbis: Non coles ea &c. eâdem ratione euincitur prohiberi structura earundem imaginum per antecedentia verba: *Non facies tibi sculptile, &c. Negauit Antecedens Doctor.*

Probauit Anteced. Iesuita. Eam paritatem & connexio textûs & correlatiui termini omninò exigunt; vt, si simpliciter & absolutè prohibeatur cultus omnium imaginū, simul prohibeatur structura omnium imaginum, simpliciter & absolutè. Ergo sicut non alia ibi ratio est prohibendi cultum &c.

Negauit Antecedens Doctor. Probauit Iesuita sic: Connexio Scripturæ & Correlatio terminorum hæc est non alia, vt eæ tantùm imagines & nullæ aliæ ibi prohibeantur coli, quæ ibidem prohibentur fieri. Loquitur enim textus non de distinctis, sed de ijsdem genere, specie, & indiuiduo sculptibilibus: quod sufficienter exprimit particula correlatiua EA, *Non*, inquit, *coles ea.* Quæ tandem

dem hæc EA? Certè non alia, quàm quæ hîc prohibeo fieri: *Non facies tibi sculptile &c.* Ad alium enim terminum in allegato textu referri non potest correlatiua hæc particula *EA*, quod vel infimæ Clasſis Grammaticus (quidni Doctor?) aduertat est necesse. Ergo Connexio textus & correlatio terminorum hoc exigit omninò, vt, si simpliciter & absolutè prohibetur cultus omnium imaginum, etiam prohiberi censeatur simpliciter & absolutè structura omnium earundem imaginum.

Vide mi Garriophile, quàm consequenter Iesuita sit argumentatus. Ego me ingenuè faterer conuictum. Nihilominus Doctor detrudi se de opinione sua nullis medijs patiebatur: verùm mordicus in hoc perſiſtebat; vt, licèt de ijsdem & non diuersis imaginibus seu sculptilibus Scripturam tractare concesserit, tamen cultum solum, non itē facturam earundem simpliciter & absolutè interdici affirmârit. Quid hoc aliud est dicere, quàm sic: Et omnes prohibentur, & eædem omnes non prohibentur? Non enim, vti probatum est ex correlatione terminorum, & ipse Doctor concesſit, aliæ significantur *Omnes*, quæ colendæ; quàm *ea Omnes* quæ non faciendæ. Quomodo ergo saluari potest, vt *eædem Omnes* strictiùs & cum exceptione accipiantur quoad structuram, latiùs autem ac sine vlla exceptione quoad cultum, cùm plures non sint prohibitæ coli, quàm fieri? Certè ego responsum Doctoris nedum percipio. Tu rem è profundioribus erue latebris: & si quod effugium occurrerit, me, oro, celare nolis. Addo

Epilo-

Epilogum, quo Iesuita clausit Argumentum explorando sensum Scripturæ; vt illæ solummodò imagines prohibeantur & fieri & coli; quibus agnosceretur diuinitas aut virtus increata inesse per se: quod ratio textûs euincit, vbi sic ait: *Quia ego sum Dominus DEVS tuus fortis.* quasi diceret: Non facies tibi sculptile tale, nec coles illud; cui Dominium, Deitatem, & Fortitudinem attribuas per se. Verè, vti mihi videtur, ad rem sententia declarata. Excurrebat ille prolixiùs. Ego breuitatem nunc amplexus, si quid præterea memoria obtruserit, ignotum tibi non sustinebo.

Hinc occasionem sumpsit Iesuita aliam iterum viam ingrediendi; quâ Doctorem ex ipsius proprijs argumentis in labyrinthæos, vti opinor, circos deducere nitebatur. Rem sicut auribus excepi, ita calamo fideliter euulgo. Denegatâ nimirum diuinitate Virtute, ac fortitudine diuinâ imaginibus, non inconsequenter Iesuita quæsijt ex Doctore: quâ fronte is ausus esset Concilium Tridentinum in Thesibus suis propter cultum imaginum superstitionis insimulare? Thesis Doctoris sic habet disp. 31. Antithesi primâ circa finem: *Attamen superstitio semel inuecta mansit, quam & in Synodo Tridentina confirmarunt Sess. 25. Tom. 4. Concil fol. 420. tametsi & ibi caute loquunrur, ne à semitis antiquorum Iconolatrarum abire videantur. Neque enim dicunt latriâ colendam imaginem, vel eodem genere cultus, quo exemplar, sed tantum imaginibus honorem & venerationem impertiendam --- quoniam honos, qui eis exhibetur,*

referatur ad prototypa, quæ illæ repræsentent. Produxit Iesuita textum Concilij, legit publicè, repetiit plus quàm vigèsies clarè, distinctè ac enucleatè, Doctorem pertinaciter vrgendo: aut superstitionem demonstret, aut calumniâ & apertâ iniuriâ Concilium infectum à se fateatur. Porrò textus Concilij citatus de verbo ad verbum sic, non aliter sonat:

„ Imagines porrò Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum „Sanctorum in templis præsertim habendas & retinendas, „eisq; debitum honorem & venerationem impertiendam, „non quòd credatur inesse aliqua in eis diuinitas, vel virtus, „propter quam sint colendæ; vel quòd ab eis sit aliquid pe„tendum, vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda; veluti „olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem suam colloca„bant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad „prototypa, quæ illæ repræsentant: ita vt per imagines, „quas osculamur, & coram quibus caput aperimùs, & pro„cumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ „similitudinem gerunt, veneremur. Id quod Concilio„rum, præsertim verò secundæ Nicenæ Synodi decretis „contra imaginum oppugnatores est sancitum.

„ Illud verò diligenter doceant Episcopi, per historias „mysteriorum nostræ redemptionis, picturis, vel alijs simi„litudinibus expressas, erudiri & confirmari populum in „articulis fidei commemorandis & assiduè recolendis: „tum verò ex omnibus sacris imaginibus magnum fructũ „percipi; non solum quia admonetur Populus beneficiorũ

& mu-

, & munerum, quæ à Christo sibi collata sunt, sed etiam,
, quia Dei per Sanctos miracula, & salutaria exempla ocu-
, lis fidelium subijciuntur; vt pro ijs Deo gratias agant, ad
, Sanctorumq; imitationem, vitam moresq; suos compo-
, nant, excitenturq; ad adorandum ac diligendum Deum
, & ad pietatem colendam. Siquis autem his decretis con-
, traria docuerit, aut senserit, anathema sit --. Omnis porrò
, superstitio in Sanctorum inuocatione, Reliquiarum ve-
, neratione, & imaginum sacro vsu tollatur &c. &c.

Iterum iterumq; relecto distinctè hoc decreto Synodi, mirùm quàm animosè Iesuita vrserit Doctorem: ostenderet vel vnicam minimam notam, non dico, integrum membrum: in quo vis aut ratio aliqua superstitionis contineretur.

Doctor. In illis verbis contineri: *Imaginibus debitum honorem & venerationem impertiendam* -- quoniam honos, qui eis exhibetur, referatur ad prototypa, quæ illæ repræsentent.

Iesuita. Cur Doctor hæreticorum more non fideliter textum citet ac alleget? Cur expunxerit aut subticuerit alia Decreti verba, per quæ plus quàm luculenter sensum suum explicat Synodus? Sunt verò hæc: *Eisq;* (scilicet Imaginibus) *debitum honorem & venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in ijs diuinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus &c. sed quoniam honos &c.* Vide

mi Domine Doctor, quàm accuratè Synodus detestetur omnem superstitionem in veneratione imaginum; quam tu tamē confirmatam incuriosè propalas ab eadē Synodo.

Doctor. Licèt Concilium verbis neget inesse diuinitatem, & virtutem imaginibus: sensus tamen ipsius contrarius est, quo certò certiùs diuinitatem eisdem imaginibus adiudicat.

Iesuita Quis Spiritus hunc sensum aperuisset Doctori? quis hominem alienæ Religionis interpretem constituisset Concilij? Ne Sutor vltra crepidam. Deinde doceret Iesuitam, methodum tàm subtiliter eruendi sensus contrarios affirmatiuos ex verbis hisce apertissimè negatiuis: *Non quod credatur inesse aliqua in eis diuinitas &c.* Estné hoc idem dicere? Credatur inesse aliqua in eis diuinitas &c. Nimium subtilis sensuum euolutio.

Agnosce mi Garriophile Doctoris inuolutos & intricatos sensus. Mihi videtur, daß er hat Stränge mit seinen sensu auff eigenen Rücken ausgedrahet.

Iesuita instat. Aut demonstret Doctor notam supestitionis in Concilio, aut calumniam reuocet.

Doctor. Sat superstitionis, quod Synodus vult honorem & venerationem debitam impertiri imaginibus, cùm ijs nullus aliàs debeatur.

Iesuita. Ergo & Doctor superstitiosus, qui eisdem imaginibus honorem negatiuum tribuit, scilicet vt non tractentur ignominiosè. Disp. 30. Obseruatione secundâ. *Obseruandum*, inquit, *secundò, quòd non sit controuersia de* qua-

qualicunque æstimatione & honore imaginum, præsertim negatiuo, vt loquuntur; qui in eo consistit, vt non abijciantur, non confringantur, non conculcentur, vel ignominiosè tractentur: verùm de cultu religioso, qui sit actus religionis, seu virtutis illius, quâ Deum colimus, elicitus. Imperatus enim actus hîc aduersæ parti non sufficit, vt non aliter dicatur quis rèligiosè colere imagines, quàm religiosè visitare pupillos & viduas & eleemosynas dare: tametsi nec hoc sensu concedimus imaginibus cultum religiosum deferri.

Doctor Negat illatum. Quia solus actus positiuus elicitus circa imaginem ex motiuo religionis superstitiosus est: *Volo colere imaginem vt sim pius in Deum imaginatum seu per imaginem repræsentatum*: non verò negatiuus: *Nolo ignominiosè tractare eandem imaginem, vt non sim impius in Deum.*

Iesuita. Actus honorificus negatiuus à Doctore concessus imagini, præsupponit omninò positiuum alium debitum eidem imagini, scilicet: *Debetur honor imagini, idcirco nolo illam conculcare ignominiosè.* Implicat enim in adiecto, capacem aliquem esse dishonoris & ignominiæ, qui non sit capax honoris. Ergo si positiuus actus elicitus superstitiosus est: erit etiam superstitiosus negatiuus tanquam fundatus in debito positiuo.

Doctor. Negatur præsupponi debere à negatiuo actum positiuum debitum imaginibus: Debetur honor positiuus elicitus imagini.

Iesuita Quæritur. Actus hic, *Volo conculcare crucem*

Chri-

Christi atq; ignominiâ afficere (qui alias opponitur illi negatiuo, Nolo colculcare crucem &c,) estné vitiosus ac irreligiosus?

Doctor. Est vitiosus ac irreligiosus, & quidem inuoluens impietatem in Deum.

Iesuita. Ergo omninò supponit alium virtuosum positiuum debitum cruci ac inuoluentem in se pietatem in Deum. Vitium enim morale cum actibus siue positiuis siue negatiuis suis omninò supponit aliquam virtutem, eiusq; actus, qnibus opponatur. v. g. Odium Amorem, Ignominia & dishonor honorem: aliàs nullus daretur dishonor ac ignominia. Qui enim fieri potest, vt aliquem iniuriosè aggrediar, cui nullum ius competit? aut dishonorem eum, qui nullius honoris sit capax? aut irreligiosè tractem eum, cui nulla religio debetur? Quod tamen Doctoris vult & exigit responsio, dum ait actum hunc esse irreligiosum: Volo ignominiâ afficere crucem, licèt Crux nullius Religionis capax sit. An hæc non aperta cotradictio?

Doctor. Non sequitur Subiectum esse eo ipso capax oppositi actus, si ad oppositum alium determinetur. Instantia habetur in Pontifice vestro Romano, qui secundùm vos Papistas determinatus est ad infallibilitatem in articulis fidei decernendis; licèt nulla ratione, vti dicitis, capax sit oppositi actus fallibilis. Sic etiam potest v. g crux terminare actum irreligiosum, quamuis non habet capacitatem actus religiosi.

Iesui;

Iesuita. Nimium claudicat hæc paritas. Siquidem Infallibilitas non sit virtus theologica aut moralis pendens à libero arbitrio Papæ ita; vt posſit ſe vel ad hanc ipſam, vel ad contrariam fallibilitatem liberè determinare, ſed eſt proprietas omninò neceſſaria actûs intellectiui & aſsiſtētia neceſſaria Spiritus Sancti, determinantis & cogentis intellectum, vt hunc infallibilem actum fidei eliciat, & non oppoſitum fallibilem. Alia igitur eſt ratio de actu irreligioſo libero pendente à Principio libero, ſcilicet Voluntate, qui omninò ſupponit capacitatem contrarij actus religioſi in eodem ſubiecto, quod à nullo aſsiſtente Spiritu cogi poteſt ad vnam tantū̃ partem. Alias & libertas & actus morales liberi tollerentur. Sic in Angelo puritatem Angelicam non dico virtutem moralem, ſed donum naturæ debitum, eò quòd incapax ſit Angelus contrarij actus vitioſi Incontinentiæ. Reuocet ſibi Doctor Principia Philoſophiæ moralis: aliter credo de actibus liberis moraliter bonis vel malis diſputabit. Agnoſcet hunc eſſe bonum, religioſum, & nullo modo ſuperſtitioſum actum: Volo honorare imaginem Chriſti oſculando illam: ſicuti agnoſcit moraliter malum eſſe hunc: Volo pedibus conculcare eandem imaginem Chriſti, eamq; iniuriâ afficere.

Doctor. Fruſtra de opinione mea detrudor, ſed conſtanter aſſero oſcula, aliaq; ſigna externa honoris Cruci adhibita prorſus eſſe ſuperſtitioſa.

Iesuita. Ergo & caput aperire aut genu flectere motu externo in Nomine IESV ſuperſtitio erit. Ergo & præce-

ceptum Scripturæ superstitiosum: In nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. *Philip. 2. v. 10.* Quid enim signum externum ab ore effectũ plus habet, vt honoretur, quàm itidem signum externum manu fabricatum? Nomen IESV creata vox est ab homine producta, Crux IESV etiam creata figura ab homine producta. Cur igitur Domine Doctor etiam nunc audito nomine IESV deponis pileum, & idem non facis visa cruce Christi, cùm eandem personam Christi, & Crnx & nomen repræsentent.

Doctor. Dum pileum in nomine IESV moueo, non nomen colo sed nominatum. Vos autem Papistæ lignum ipsum Crucis adoratis, tanquam terminum adorationis.

Iesuita. Falsum est quòd lignum terminus sit nostræ adorationis. Adoramus id, quod Concilium Tridentìnum citatum adorari præcipit, aliud præterea nihil. *Vt per imagines quas osculamur & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.* Vnde si quando fatemur crucem à nobis adorari, intelligitur de materiali adoratione seu de motu externo corporis, non verò de formali adoratione intentionis, quæ in solum prototypon dirigitur.

Doctor. Hæc adoratio phantastica est, actu externo inclinare caput, & interim per phantasiam imaginarì Christum seu prototypon. Planè acsi bouem quis manibus furaretur, & in tentione imaginaretur se dare eleemosynam.

Ie-

Iesuita. Ergo & vos phantasia laboratis, atque phanta-
stica vestra est adoratio, dum audito nominis IESV mani-
bus caput aperitis non ipsi nomini sed Nominato, vti con-
cessum. Ecce quomodo seipsum impugnat D. Doctor.
Deinde miror ignorari à Doctore tanto principium effi-
ciens tàm furti quàm adorationis, sicut & cuiuslibet alte-
rius vitij aut virtutis, fide duntaxat exceptâ. Principium
mi Domnie Doctor vitiorũ & virtutum Voluntas est hu-
mana, non verò Phantasia. Vnde & caput & manus mea
mille actus exerceat externos; modò nõ accedat voluntas
aut intentio, moraliter nec virtus nec vitium censebuntur
eiusmodi actus, prout patet in somniantibus atque deliris
hominibus. Multum igitur falleris, dum adoratores nos
& idololatras vocas propter actus externos terminatâ in-
tentione ad prototypon.

Doctor. Ergo tu dicis coli non ipsum signum v. g. Cru-
cis, sed tantùm signatum Christum, quando visâ Cruce pi-
leum moues.

Iesuita. Ita dico & teneo, si de formali cultu inquiris,
qui in sola consistit intentione.

Doctor. Non ita Bellarminus vester sentit, qui forma
lem adorationem tribuit Cruci, non quidem per se, sed im-
propriè, analogicè, ac per accidens.

Iesuita. Non iuraui quoad hoc punctum in Bellarmi-
num, cùm ab eodem triplex ea super re opinio Doctorum
referatur. Liberum mihi est, sequi ac defendere quam
volo, maximè si quæ clariùs accedit ad Concilij decretum,
& magis pro simplicium captu seu intellectu militat.

Porro dictas sententias ita refert Bellarminus lib. 2. de Imagin: c. 20. Venio, inquit, nunc ad postremam quæstionem, quo genere videlicet cultûs dignæ sunt imagines. Tres sunt sententiæ:

Prima, quod imago non sit vllo modo in se colenda, sed solûm coram imagine colendum exemplar. Ita quidam, quos refert & refellit Catharinus. Idem videtur sensisse Alexander 3. part. q. 30. art. vlt. nec non Durandus lib. 3. sent. distin, 9. q. 2. & Alphonsus à Castro verbo Imago. Fundamentum huius sententiæ est: Quia secundùm Basilij sententiam in VII Synodo sæpiùs repetitam, honor imaginis transit ad exemplar: non ergo inquiunt hi Doctores in imaginem terminatur: proinde ipsa imago non est, quæ honoratur, sed solùm per illam, & in illa honoratur exemplar. Et confirmatur ex versibus, qui dicuntur compositi tempore VII Synodi, quiq; visuntur Venetijs in æde aurea antiquissimo opere incisa, & referuntur à Sabellico lib. 8. Ænead. 8.

Nam Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipsa:
Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.

Quod autem dicitur de imagine Christi DEI, dici etiam posset de imaginibus Sanctorum, nimirum: Nam Petrus est, quod imago docet, sed non Petrus ipsa.

Secunda opinio est, quod idem honor debeatur imagini & exemplari, & proinde Christi imago sit adoranda cultu latriæ, B. Mariæ cultu hyperduliæ, Sanctorum aliorum cultu duliæ. Ita Alexander 3. part. q. 30. art. vlt. B. Thomas 3. part. q. 25. art. 3. & ibidem Caietanus. B. Bonauentura,

arsilius, Almayn, Carthusianus, Capreolus, & alij in 3. ent. dist. 9. Idem etiam habet Henricus quodl. 10. quęst. uamuis addat nullam imaginem adorandam esse latriâ. am ipse putat quidem eundem esse honorem imaginis & xemplaris, sed simul docet imaginē Christi non esse imaginem Christi vt Christus Deus, sed vt homo est, &c. &c.

Tertia opinio versatur in medio, estq; eorum, qui dicunt, ipsas imagines in se & propriè honorari debere, sed honore minori quàm ipsum exemplar, & proinde nullam imaginem adorandam esse cultu latriæ. Ita Martinus Pesius in lib: de traditionibus, tractatu de imaginibus. Itē Ambrosius Catharinus in tractatu de imaginibus. Nicolaus Sanderus l. 2. cap. vlt. de imaginibus. Idem videtur sensisse Gabriel, qui in 3. dist. 9. q. vnica & in canonem Missæ lect. 49. ait imaginem adorari eàdem adoratione cum exemplari non tamen vniuocè, sed analogicè. Hoc enim est dicere coli imagines cultu inferiore, quàm ipsum exemplar.

Videat hîc Doctor quomodo Bellarminus primam non damnet sententiam, licèt aliam sequatur & defendat. Sic & ego nō damno quidē opinionem Bellarmini, aliam tamē scilicet primam sequor & amplector. Stamus enim in puluere scholastico, vbi licitum est cuique arripere sententiam probabilem, relictâ aliâ etiam interdum probabiliore.

Doctor. Ergo ad nostram accedis opinionem, qui similiter imagines non colimus ipsas, sed tantùm illarum præsentiam nobis reuocamus prototypon & illud veneramur.

Iesui-

Iesuita. Minime vestræ adstipulor sententiæ. Vos enim nullum honorificum externum signum exhibetis imagini prout ego facio osculando, amplectendo &c. crucem Christi, ac interim interno actu ipsum Christum adorando. Deinde, si fateri velitis ingenuè, vos ipsi hanc meā approbasis venerationam pari cultu circa nomen IESV. Datis nomini IESV actum externum honorificum genuflectendo, caput aperiendo &c. secundum illud Ps. 33. v. 4. Exaltemus nomen eius in idipsum: interea verò mente Personam Christi formaliter adoratis. Cur idem facere nō vultis coram Cruce figuram Christi gerente, quæ æquè Personam IESV significat, sicut nomen IESV? Cur in nomine IESV genu flectis, & non itidem in signo Crucis?

Ad hoc, mi Garriophile, an Doctor aliquid responderit, nedum mihi reuocare potui. Interim accipe gratanter hanc simplicem causæ relationem. Mandabit, credo, typis exactioribus argumenta ipse Iesuita. Inde meliùs informaberis. Vnicum valdè miror, nempè Sutorum ac Sartorum nostrorum cæteraq; plebis rudioris arrogantiam, quæ victum proclamat Iesuitam, licèt stulti nil horum omnium, quæ agitata sunt, perceperint. Non magna Doctoris laus, quod præcones habeat insipientes: Iesuitæ maximus honos, quod nullus apprimè doctus audiatur inter nostros, qui argumentis ipsius velit derogare.

Faue & Vale.